

372 1928 K 944
475 10.
DISPUTATIO IURIDICA
De
TRIPLICI FIDEIUSSO-
rum Beneficio, & Senatus.
consulto Vellejano.

Quam

Sub felici

ALMÆ TRIADOS

auspicio,

*Magnifici atq; Nobilissimi f; Cotorum Collegij, in perillusfrī
VVittebergensi Academiā, consensū accedente,*

PRÆSIDE

Viro Clarissimo atque Consultissimo


Dn. CHRISTIANO Krembergf/
J. U. D. Præceptore & favitore suo
observando.

Publicè ventilandam proponit

THEODORUS MUNTH, Wilsterā Holsatus.


In auditorio f; Cotorum,

ad diem 25. Januarij.



VVITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS GORMANNI.
Anno M. DC. XXII.

1622





DEO DUCE.

Thesis I.

BIdejussionis facilitatem s̄epissimē hominibus extremam egestatem & inopiam adferre, sole meridiano clarus est.

arg. l. i. ff. ad SC. Velleianum. Tritum enim & veritate communum est diversum, ēyyūn ḏuyātne ātac; quod & Germani licet jocose, eleganter tamen exprimunt, viel Bürgen ist eine vergiftung deines Erbteils/ vnd hat eine Stiffmutter die heisset verkauff deine Güter/ die gebieret dir eine Tochter/ die heisset gieb sie wolfeil/ dieselbe Tochter hat einen Bruder/ der heisset zum Thor hinauf. Hering. in tract. de fideiūffor. cap. 1. & 15. n. 12. cum seqq. Gail. libr. 2. obs. 83. n. 15.

II.

Licet vero hic contractus fideiūssionis admodum sit onerosus; nullum enim lucrum ex eo resultat, in tantum ut ille, qui fideiūbet, dilapidare censeatur bona sua: non tamen ē medio tollendum eum existimamus; præsertim si personarum conditio & aliæ circumstantiae eum non dissuadeant.

Laudatissima namque piorum hominum exempla nobis exhibentur & ob oculos ponuntur, qui pro aliis fidem interposuerunt. Nam Gen. 42. cum Iosephi fratres, Iacobi Patriarchæ filij fratrem suum natu minimū, prout jussi erant, Iosepho sistere & secum abducere velarent; Iacobus vero repugnaret, ita locutus est Ruben ad Patrem: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi. Trade illum in manum meam & ego tibi eum.

restituam. Ecce hic Ruben fidem suam pro Iosepho interposuit, seque Jacobo patri sponsione obligavit.

Utilitas præterea publica fideiussionem suadere videtur; siquidem sine pernicie & ruina Reipubl. commercia impediri aut tolli nequeunt, ut sine quibus Resp. nullo modo subsistere potest. *arg. l. cum plures. s. 1. ff. admin. tut.* Atqui tollerentur è medio, aut sane impedirentur contractus aut commercia, si fideiussio tolleretur. Quis enim facile egenti & inopi homini crederet, aut in commerciis fidem haberet, deficiente fideiussore? Nec curamus hic eos, qui temerarias & inconsultas sponsiones suscipiunt, atque exinde maximum suâ culpâ damnum sentiunt. Hos enim potius deridendos, quam deplorandos existimamus. *arg. l. 30. & l. 145. & l. 203. ff. de R. J.* Nec putamus per abusum verum rei usum debere tolli; quippe non tantum hic, verum alij quoque contractus extirpandi essent. *Hering. de fideiuss. d. c. 1. & 15. Rob. Marant. in Specul. aureo, disp. 6. n. 13.*

III.

Dubium itaque non est, fideiussionis officium esse non solum honestatis & necessitatis, verum etiam humanæ dilectionis plenum, & ad conservanda rerum commercia utilissimum. Ne tamen officium illis foret damnosum, Divi Imperatores, non ad cohibendam coercendamque credendæ pecuniæ facilitatem, sed ad subveniendum officij necessitati, tot ac tanta fideiussoribus concesserunt remedia, quibus adversus importunam, & plusquam sanguinolentam creditorum exactionem, peculiariter sese nonnunquam possent defendere.

Quis enim eorū non misereatur, qui amore fratribus, & amici proximi ultrò fidem exponunt suam, ac liberalitatis suæ periculum atque damnum, sua coacti voluntate sibi accersunt? quorum vicem ipsæ leges dolent, mife-

miseratione dignantur, ipsis quoad fieri potest, mederi
expetunt: absque quorum subsidio si essent, quis ad
eorum salutem non omne demortuum crederet auxili-
um? *Francus de fideiuss. in prolegom. n. 12. Gail. libr. 2. obs. 27.*
n. 2.

IV.

Beneficia autem fideiussoribus à iure communi-
tria potissimum data reperiuntur, quib. si iusto tempo-
re utantur, sapissime damnum, quod alias ex fideiussi-
one sentiunt, effugere solent.

Quæ beneficia, (ab aliis remedia iuris nominata. *Cu-
iac libr. 19. observat. c. 34.* ab alijs exceptiones. *Zanger. de
except. p. 3. c. 19.*) cum in fôro sint frequentissima, in præ-
sentiarum de iis singulis ordine differemus.

V.

Primum quod occurrit remedium, dicitur Excusio-
nis sive Ordinis. Executere hoc loco est diligenter in fa-
cultates & fortunas debitoris inquirere, ut sciatur, num
is sit solvendo? Qui si tantum non possidet, quantum
debit, tunc primò adeundi fideiussores, ab iisq; totum
vel pars est petenda.

*Seneca libr. 3. de benefic. l. 2. ff. si quis omis. caus. testam. l. 1.
C. de revocand. iis, que in fraud. credit. Nov. 4. & Aubent.
præsente. C. de fideiuss. Hic ordo, licet summa nitatur æ-
quitate: tamen de jure veteri non fuit observatus. Fuit
enim ibi electionis potestas creditori, convenire vel i-
psum debitorem principalem, vel etiam fideiussorem.
l. 3. l. 5. C. de fideiuss. *Francus. de fideiuss. c. 5. n. 141.* Unde, si
bona debitoris in alio territorio sita sint, num & ea, an-
tequam fideiussor conveniatur, excutienda sint, quæ-
stionis est ancipitis? Affirmativa arridet, si modò excus-
sio facile fieri possit, arg. l. si fideiussor. 7 §. 1. ff. qui satisd.
cog. *Franc. de fideiuss. c. 5. n. 274.**

A 3

VI.Ex-

VI.

Excusione huius beneficium non tamen semper transilit ad fideiussores, sed tunc demum, si principalis debitor est praesens. Hoc enim absente vel latitante, fideiussores quidem conveniuntur: Iudex tamen, ipsis flagitantibus, definiet tempus, intra quod producant rem primò conveniendum.

Per Novell. 4. & Auth. presente, C. de fideiussor. Hæc autem præsentia ex facilitate hunc vel illum conveniendi, ansam parit dubitandi, num is, qui pro personis privilegiatis; puta Clerico vel Studiofo fidem interposuit, exceptionem excusione opponere queat? Clericus enim inter potentes refertur. c. ex parte. 2. Ext. de alienat. iudic. mut. caus. facta. Studiosus itidem forum habet proprium, ut invitus in aliud rapi non queat. Auth. babita. C. ne filius pro patre & paria existimantur secundum Bl. in t. si fideiussor. ff. qui satis cog. excusum esse & excuti non posse vel difficulter posse. Negativam cum Franco de fideiussoribus, cap. 5. n. 328. & seqq. Berlich. p. 2. conclus. 24. n. 30. & 33. Mynsing. cnnt. 2. Obs. 15. distinctione aliqua adhibita defendemus.

VII.

Denegatur & hoc privilegium illis, qui fidem interponunt pro iis, qui difficulter conveniri possunt; utputa potentibus, tyrannis, hominibus duris, prædonibus &c. a. Item, qui notoriè non sunt solvendo. b.

a. Quod de illis accipi debet, qui in magna autoritate sunt constituti, & quibus proscriptio est facilior quam solutio. Item rixosis & cavillosis. Ratio est in t. t. ff. de alienat. iudic. mutand. caus. fact. Quia cum potente & rixoso litigare non tantum tediosum, verum & periculosum. Vide VVesembec. in Paratitl. ad tit. dict. Huic accedit & illud, quod tenuioris fortunæ homines facile opprimantur;

tur; præsertim si adjudicem res redierint. arg. l. i. C. ne lit-
ceat potent. patroc. lit. præst. Neguz. de pignor. pag. 8. memb. 1.
n. 43. ubi ea dicit exetienda bona quæ absque contro-
versia discuti possunt Vide Gail. libr. 2. obs. 27 Myns. cent.
2. obseru. 15.

6. Hic enim excusio locum non invenit; siquidem o-
mnibus bonis excusus est. Illud tantum requiritur, ut
per creditorem probetur, debitorem non esse solven-
do; quod fieri potest, per famam vicinorum, confessio-
nem propriam fideiussorum, vel iuramentum pau-
pertatis a debitore præstitum. per l. scimus. ult. §. licentia.
10. C. de iur. deliberand. vel denique per cessionem bono-
rum ipsius debitoris. Videatur Gail. lib. 2. Obseru. 27. n. 14.
C. 15. Berlich. p. 2. concil. 24. n. 143. & seqq. ubi plures modos
probandi recensent.

VIII.

Perdit & ille excussionis beneficium, qui se fidem
suam interpoluisse inficiatur, & postea mendacii con-
vincitur.

Digna sane poena tali mendacio. Præterquam enim,
quod lex mendacia severe prohibet, mendacesque odio
plus quam Vatiniano prosequitur. l. de ætate. §. si cum es-
set. ff. de interrog. action. l. falsus. §. 3. ff. de furtis. l. 4. C. de ser-
vis fugitiis; adeo ut olim apud Persas & Indos præser-
tim, mendaces poena perpetui silentij multarentur, sic
ut per totam vitam nihil omnino proloqui illis liceret,
nulloque magistratu & honore digni haberentur, ut
auctor est Alexand. ab Alex. libr. 6. Gen. dier. c. 19. & sec-
undum Arist. apud bonos & graves viros mendacii oto-
res, propria mendacis poena sit ista, ut postea, etiam vera
dicenti non credatur. Indignum enim eum beneficio
legis existimamus, qui in leges delinquit. c. ex eo. cap.
frustra, de R. J. in 6. Et licet mendacio nulla certa poena
a jure

à jure nostro est indicia: multis tamen casibus leges no-
stræ mendacium & inficiationem puniunt; vel pœnam
infligendo, vel saltem beneficium auferendo, ut ostendit
Borch. de feud. c. 8. n. 116. & probatur per *l. fin. ff. de R. V.* & *L.*
contra negantem. C. ad L. Aquil. Eum tamen hoc loco men-
daceum esse putamus, qui in mendacio perseverat, non
eum qui dubius est, vel qui animo vacillante, incertaq;
mente oblivionem allegat, ut *Hering. loquitur de fideiuss.*
c. 27. n. 218, & 219. Berlich. p. 2. concl. 24. n. 93. & seq.

IX.

Privantur itidem hoc auxilio, qui specialiter ei
renunciant.

Ratio depromitur ex *l. pen. & ult. C. de pactis. & l. 27. C.*
de testam. Deinde teste *VVesemb. p. 1. consil. 10. n. 9.* omne
durat beneficium, cui expressè non est renunciatum:
quod & probatur per *Const. Elector. Aug. p. 2. const. 17.* ubi
Daniel Mollerus. Matth. Coler. de process. Executiv. p. 1. c.
10. n. 448. Franc. c. 5. n. 358. Heigus, part. I. quæst. 38. Matth.
Berlich. p. 21 concl. 22,

X;

An autem Fideiussori, qui se ut principalem obli-
gavit, vulgo einen *Selbstschuldener* beneficium excusso-
nis jura nostra largiantur, quæstionis est? Nos eum ab
hoc beneficio excludimus de jure civili (*a*), maximè, si
novandi causa hoc egit (*b*)

(*a*) Contrarium enim si verum esset, sequeretur, illa
verba, Ich sehe vnd verschreibe mich zu einem Håupt vnd
Selbstschuldener plane esse superflua, & nihil operari;
cum tamen contrarium suadeant nostræ leges, verba
non ociosa in contractibus requirentes, sed singula cum
virtute & energia ponderantes. *l. 5. §. 2. ff. ne quis eum, qui*
in ius vocat. l. stipulatus. q. ff. de usur. Imò cum benefici-
um excussionis in favorem fideiussoris introductum sit,
habet

Habet, quod sibi imputet, cur ad commodum suum non
attentius vigilaverit & sibi melius prospexerit, expre-
sse cavēdo, quod nequaquā tale beneficium sibi præripe-
re intendat, ut maximè secundū nō p̄n̄t se debitorē prin-
cipalem constituerit. Quod dum non fecit, nihil relin-
quitur, quod prætendere queat, maximè quum incon-
veniens sit, & contra naturam conjugatorum, si quis di-
cat, se quidem principalem sese constituisse, sed tamen
non principaliter obligari; perindē ac si dicam; mutuō
quidem datam esse pecuniam, sed tamen mutuam non
esse. Quare citra absurditatem vix ac ne vix quidem
affirmari poterit, quod is qui se principalem debitorem
constituit, nudus fidejussor maneat. Hanc assertionem
defendunt nobiscum Ant. b. Hering, tr. de fidejuss. c. 27. part.
I. n. 67. & seqq. Facbin. lib. 8. cont. c. 54. Gæddeus in tract.
de contrah. & cōm. stipul. cap. 9. n. 97. Treutl. vol. 2. disp. 28. th.
5. lit. D. ibid. Hunn. in resolut. Berlich. part. 2. concl. pract. 23.
Cl. atq. Exc. Dn. Conrad. Carpzovius, Præcep. meus & viternū
bonorandus, in Colleg. public. Disp. 10. Conclus. 5. Disſ Schnei-
devv. ad §. si plures. 4. Inst. de fidejus. & Gail. lib. 2. obs. 28.
& horum sententia confirmata est ab Electore Augusto
in Novell. part. 2. constit. 18. ubi vid. Danielem Moller,
in comment. n. 1. & seq.

(b) l. fin. C. de Novat. §. præterea. Instit. quibus modis
voluntur obligatio. Franc. cap. 5. n. 200.

XI.

Cum verò non raro accidat, ut debitores à judice
literas induciales, seu rescripta moratoria impetrant,
quod nos vernaculo sermone exprimimus, wenn sie Ey-
fern werden/queritur, nun eorum fidejussores; dilatio-
ne hac non obstante, ante principalem conveniri que-
ant? Nos putamus illud decidendum ex petitione sup-
plicantium, & voluntate concedentium.

B

arg.

arg. l. 7. ff. de exception. & s. fidejussores. 4. Inst. de excep-
tione. s. sed quod. Inst. de I. N. G. & C. l. 6. ff. de leg. Hæ dilationes seu inducæ, vulgò anstandt Briesse/oder Quinquennales, si fidejussio accedit sufficiens & idonea, concedi possunt, uti demonstratur per l. quoties. l. universa.
C. de prec- Imper. offerendo. Non tamen quibuslibet; Imprimis denegantur decoctoribus, quos Græci χρεωκόπες seu ἀνολάστας appellant, qui sua bona abliguriunt, pecuniam, quam à creditore accipiunt, libidine & alea perdunt. Tribuuntur verò illis debitoribus, qui fortunæ asperitate, & injuriâ, ex accidenti, non supinâ negligentiâ facultatibus lapsi sunt, & à Justiniano in Nov. 4. & Nov. 135. infelices debitores vocantur, non solum de jure communi. Alexand. in l. 1. num. 43. ff. si cert. petat. sed etiam de consuetudine, prout à Carolo V. Imp. constitutum est, Anno 1541. die 18. Novembr. nec non in der Policeyordnung de Anno 77. tit. 23. ut Petrus Heigius testatur in quest. juris. part. 1. quest. 35. num. 43 & seqq. Videantur præterea Hottoman. in quest. illustr. quest. 26. Hering. in tract. suo, c. 5. n. 107. & alii ab illis allegati.

XII.

Recensitis in hisce casibus, & aliis (a) beneficium excussionis dormit, & fidejussor ante principalem convenitur. Debitoris tamen principalis mora, fidejussori ad continuandam & perpetuandam obligationem nosket: (b) ad eandem verò augendam non item; nisi in omnem causam fidejusserit, vel ejus nomine ad id quod interest, se obligaverit. (c)

(a) Hos casus vide apud Hering. d. tr. c. 27. Berlich. p. 2. concl. 24. Franc. de fidejuss. c. 5. & alii ab eo relati.

(b) Probatur illud i. per l. si servum. 91. s. num videamus. 4. ff. de V. O. ubi expressè deciditur, principales debitores mora sua fidejussoribus quoq; obligationem perpetua-

perpetuare. 2. perl. 49. §. 1. ff. eod. & l. mora. 88. ff. d. t.
l. si à colono. 58. §. 1. ff. de fidejussor. ubi ita dicitur, cum
facto suo reus principalis obligationem perpetuat, et
iam fidejussoris durat obligatio: veluti si moram fecit
in Sticho solvendo, & is decessit.

(c) Liquet illud 1. perl. centum Capue. 8. ff. de eo quod
certo loco. 2. perl. initio. 5. C. de pact. int. empt & vendit. u-
bi Imperator Longino rescribit, usuras à debitore & eo
qui in omnem causam fidem suam adstrinxit, exigi pos-
se, mora à debitore commissâ. Unde apparet, quod is,
qui non in omnem sese obligavit, in usuras non tenea-
tur. 3. perl. fidejussores. 68. §. 1. ff. de fidejussor. ubi Ictus
Paulus responderet, fidejussorem non teneri ad usuras; &
suæ responsionis dat rationem, quod se in sola centum
annua, adeoque in certam summam & non in omnem
conductionem vel conclusionis causam expressè obli-
gaverit. Huic sententiæ adstipulantur Gœddeus intr.
de contrah. & commit. stipul. c. 11. conclus. 10. Hænon. disp.
15. tb. 12. Arum. Exerc. Iust. 13. tb. 16. Hunn. Variar. Resos
Iut. jur. Civil. libr. 3. tract. 5. q. 8.

XIII.

Alterum beneficium seu remedium, quod jura fi-
dejussoribus largiuntur, est beneficium divisionis. Nam
uti beneficium excussionis, de quo hactenus egimus,
exceptionem suppeditat ipsis fidejussoribus, respectu
rei principalis, ne ante eum à creditore exutiantur:
ita divisionis beneficium, inter plures confidejussores
locum invenit, ut creditor non ab uno solidum, sed à
singulis fidejussoribus, qui modò solvendo sunt, litis
contestatae tempore, partes petere queat.

Hoc remedium Divus Hadrianus singulariæquiza-
tate atque commiseratione quadam inductus, fidejus-
soribus concessit, ut pluribus fidejussoribus obligatis,

creditor actionem dividere, atque à singulis viriles portiones exigere cogeretur; cum anteà plures fidejussores, pro aliquo intervenientes, obligarentur singuli in solidum, licet hoc in obligationis instrumento non fuisset expressum, cum id naturā obligationi inesset. l. non recte. 3. t. reos. 23. Cod. de fidejussor. s. si plures. Inst. eod. Quare & in arbitrio creditoris situm fuit, convenire quem vellet, etiam reo debitore non convento; siquidem singuli principalem obligationem fide sua esse jussissent, d. l. non recte. 3. l. liberum. 16. l. jure nostro. Cod. de fidejuss. Verū uti mōdō dictum, ex Epistolā D. Hadriani, cujus fit sēpissimē in jure nostro mētio, l. inter D. de fidejussor. l. 2. ff. de iſſ. Praſ. urb. aliud fuit introductū p. l. 10. C. de fidejuss. l. inter fidejussores. l. inter plures. ff. eod. l. 1. § nū tra-ctemus. ff. de tutel. & ration. distrabend.

Quò tamen huie beneficio locus sit, necessarium est, plures fidejussores non pro pluribus, sed pro uno debitore intervenisse. Alias enim diversarum stipulationum fidejussores erunt, qui confidejussores non sunt. Nam confidejussores sunt, qui ad ejusdem pecunia promissionem accedunt, ut volunt Dd.

Necessarium præterea hoc loci est, omnes fidejussores esse solvendo. s. si plures. Inst. b. t. l. fidejussor. C. de fidejuss. Alioquin enim in opis aut obligatione exempti portionem, reliqui supplere atque sustinere coguntur. l. si Titius. 48. l. si plures, 28 ff. de fidejuss. l. non recte. C. eod. videatur Schnidv in ad d. s. si plares. b. tit. n. 16. & 17. Francus in b. tr. suo, c. s. n. 431. & multis seqq.

XIV.

Beneficium hoc divisionis cessat in quamplurimis casib⁹, ex quib⁹ paucos notasse sufficiet. Primo locum non invenit, si unus fidejussorum in solidum condemnatus, istud non petiverit (a). Excluditur deinde

etiam

etiam inficians se fidejussisse de mendacio cōvictus. (b)
Pluribus denique fideiussoribus constitutis quorum aliis efficaciter est obligatus, alter non item; veluti pupillus, mulier, &c. in eum qui efficaciter obligatus est, in solidum datur actio, salvis vi legis reliquit. (c)

(a) Suæ namque hoc impensum referat negligētiæ. l. fidejussor. 10. s. i. in fin. de fidejussor.

(b) Per l. si dubitet. 10. §. ita demum. 1. ff. de fidejussor. Mynsing. in §. si plures, Inst. h. t. ubi & Vultejus, Heigius & alij. Gœddeus de contrah. & comm. stipul. c. 9. conclus s. Anthon. Gab. Roman. libr. 5. Comun. conclus. ut. de acquir. vel amittend. poss. conclus. 5. n. 13. & per tot. ubi permulta negationis poenæ enumerantur.

(c) Rationem hanc damus, quia ignorare non debuisse mulierem frustra intercedere; nec pupillum obligari. Leges enim his personis succurrunt, easq; obligationi subtrahunt. Papinianus in l. si Titius. 48. in pro & §. 1. ff. de fidejussor. s. i. & seqq. Inst. de autor. tutor. l. 40. ff. de R. p. l. servitatem. 209. ff. eod. Harprecht. p. 2. d:sp. 8. tb. 15. Schneidvv. Heigius, Mynsing. in d. s. si plures, Inst. de fidejussor.

XV.

Tertium & ultimum beneficium est, cedendarum actionum, quo fidejussori solidum solventi, vel solvere non renuenti, creditor cogitur cedere actiones, quas habet contra principalem debitorem & confidejussores. Quod si hoc recusat creditor, tantum in virilem portionem condemnari poterit.

Fundamentum largitur l. fidejussores. 17. cum l. 36. l. ut fidejussor. 39. ff. de fidejussor. l. cum alter. ii. C. cod. l. Papinianus 28. ff. mandat. Cedere autem actiones hoc loco est, jus suum in alium transferre, actionemq; quam quis habet, integrum alteri concedere. Hering. de fidejuss. c. 27. n. 6. Hoc beneficium uti dictum non tantum

locum sibi vendicat in actione principali, sed & in hypotheccaria, ut utrobique jus suum cedere cogatur creditor. l.2.d.l.cum alter.ii.C.de fideiuss. Et hæc cessio adeo est necessaria, ut si omittatur contra confideiussores, pro quibus solvit, fideiussor nullam habeat actionem, ab iisque nihil repetere possit. l.39.ff.de fideiuss. Heig. p. 1. quæst. 55.n.1.2.3. & 4 Goed.de contrab. & comm. stipul. cap. 9. concl. 5.n.115.

XVI.

Cessio hæc actionum fit vel ante solutionem, vel in ipsa solutione, vel post solutionem; si modò pactum vel protestatio de cedendis actionibus præcedat.

per l Modestinus. 75. ff. de solut. Ita tamen, non ut eam portionem quæ ipsum solventem contingit, sed eas tantum partes quas extra suam solvit, à confideiussoribus fideiussor solvens repeatat & recuperet. arg. l. si plures. 38. ff. de administr. tut. quod & ipsa æquitas non dissuadere videtur; ab aliis namque repeti nequit, quod quis ex iuris necessitate solvere fuit coactus. Vide Berlich. p 2. cons. cl. 22. n. 78. & Franc. cap. 5. n. 481. & seqq.

XVII.

Occurrit hic quæstio: Num fideiussori solventi, suamque portionem detrahenti, contra confideiussores cedi debeat, pro portione confideiussores attingente in solidum: an vero tantum pro rata illud locum inventiat.

Distinctione aliquâ hic opus erit, quâ adhibita res erit plana. Aut sermo est de ipsa cessione actionum; & nihil refert, utrum remedio divisionis sit renunciatum, nec ne. Cum enim fideiussores stricto jure in solidum sint obligati, adeoque, nisi excipiant, in solidum conveniri queant l.3.l.liberum. C. de fideiuss. consequens utique

tique est, creditorem actionem prout sibi competit, in solidum cedere debere.

Aut sermo est de effectu actionis cessæ & de ipsa exactione: Et dicimus, si beneficio divisionis est renuntiatum, confideiussor conventus, à quo per actionem cessam solidum petitur, frustrâ solutionem restantis solidi denegat fideiussori, qui jam solidum solvit, & portionem sive ratam suam detraxit, quia nec creditori petenti illud recusare posset, ut fusissimè demonstrat Coleanus *de processu Execut. p.2.c.2.n.16.17. & seqq.* Si beneficio divisionis renuntiatum non est, nulla subest causa, cur non fideiussor, à confideiussore in solidum eonventus, perinde se beneficio divisionis tueri, ac si à creditore conveniretur. Quod enim ipsis, qui contraxerunt, obstat, & successoribus eorum oberit. Vide Francum, *c.5.n.495. & seq. Hering. cap.27.p.3.n.33. & 34.* A quibus & hoc additur, Si unus ex confideiussoribus non solvendo fiat, iustus deficiens portionem non solum cæteros, sed & eum cui solventi actio cessâ est, sustinere debere: quod probant *textus in l. verum. §. si cum ff. pro socio. & in l. si plures. ff. de admin. tutas.*

XVIII.

Hactenus quæ pro ingenii modulo de fideiussoribus fuere prolata, regulariter ad mulieres se non extendunt; utpote quibus ob sexus imbecillitatem, (a) & rei familiaris damnum (b) alienam obligationem suscipientibus, vel in se derivantibus SC. Velleiano succurritur. Quo beneficio tutæ evadunt: sive sint obligatae verbis, vel re, vel quocunque alio contractu. (c)

(a) *l.1.ff.ad SC. Velleianum. l.2. §.1 ff. eod.l. si pater. C. de spons. Tum, quod lubicum, & temerarium sit consiliū mulierū, quia nō raro cōtra propria cēmoda laborate deprehenduntur. l.2.ff.de R. J. & l.4.in fin. C. de sponsal.*

(b) *Vide-*

(b) Videtur quidem leve esse, ab initio fidem suam pro aliis interponere, cum sola intercessio & voluntas, nulla pecuniae præstatio hic exigatur; sed tandem noxa præsto est. l.1. ff. b. t. ubi & eleganter VVesembec. in Parat. ff. b. t.

(c) per l. 2 b. t.

XIX.

Excipiuntur autem casus quamplurimi, qui SC. Velleianum excludunt; Videlicet, quando precio accepto se interponunt (a): quando proprium negocium gerunt, ac suo nomine, suamque ad utilitatem contrahunt non alienam obligationem suscipientes (b.)

(a) Infirmitas namque mulierum non calliditas beneficium promeretur. l.2. s. si decipiendi. 3. ff. ad SC. Velleian. l.5. C. eod. Vnde D. Severus rescripsit: τὰς απαθώσας γυναιξίν τὸ δόγμα τῆς συγκλήτου βελῆς ἐβονδεῖ. Decipientibus mulieribus SC. auxilio non est. d. l. 2. s. 3.

(b) per l. 3. 4. l. quamvis. 8. s. 1. ff. ad SC. Vell. l. si mater. 6. l. quamvis. 9. l. si adversarius. 10. C. eod. Nam tum æquè ut vir obligatur l. 2. 4. 5. 6. fin. C. ad SC. Vell. l. si domina. 25. l. bona fide. 27. in fin ff. eod. Gail. ib. 2. Obs. 89. n. 2. Si enim pro alio intercesserit, iuvatur; non si suum gerat negocium. d. l. quamvis. 8. s. plane. 5. cum contrahere lege non prohibetur. l. si mulier. 11. ff. ad SC. Vell. Sic licet mulier ad alterius veluti fratri usum, pecuniam accipiat; si tamen vel sibi sumat, vel in suam utilitatem convertat, SC. beneficio non gaudet. l. si fœnebris. 13. C. ad SC. Vell. l. 4. l. si mulieri. 25. l. si pro aliquo. 21. ff. eod. Vide Franc. de fidejuss. cap. 2. nu. 165.

XX.

Cessat præterea SCtum Velleianum, si fideiūbendo mulier non est facta pauperior, sed rem suam fecerit meliorem (a). Non invenit quoque locum si interces-

tercessio (b) primum facta post biennium fuerit re-
petita.

(a) per l. bona. 27. l. si pro aliquo. 21. l. si mulieris. 22. ff. d.
t. Nam quando lucrum ex tali fidejussione percipiunt,
præsumuntur, uti & antea fuit dictum, in sua causâ mu-
lieres contrahere. Menoch. de præsumt. l. 3. præsumpt. 21.
num. 4.

(b) Hic enim geminatio arguit deliberatam volun-
tatem, & debilitatur præsumptio circumscriptionis.
Præterea ex hujusmodi temporis prolixitate non pro a-
liena obligatione illigari, sed pro suâ causâ aliquid age-
re videtur. l. mulier. 22. D. d. t. s. illud quoq;. 1. Novell.
134. & ubi geminatio, ibi & deliberatio præsumitur, E-
berhard. in Topic. LL. l. 121. à vi geminat.

XXI.

Mulier quoque quæ pro marito sua bona & seipsam
obligavit, ipso jure non tenetur (a); nisi pecunia in u-
tilitatem & commodum ejus sit expensa, (b) earumque
luxu, vestitu & negligentia perdita (c); vel quando sta-
tutum est specialiter, ut uxor pro marito teneatur (d).

(a) Probatur per Novell. 134. ut nulli judic. lic. hab.
loci serv. cap. 8. & Autb. si qua mulier. C. ad SC. Velleian.
Rationem hanc assignamus, quia propter metum reve-
rentialem & sævitiam mariti, mulier facile movetur ad
intercedendum, & facilius consentit in illius obligatio-
nem, quam alterius extranei. Bl. in d. Autb. si qua muliz
er. C. b. tit. Rauchb. p. 1. quest. 34. n. 9. Berlich. p. 2. concl.
19. num. 68.

(b) Quod expreßè liquet per d. Autb. Si qua mulier.
Nec sufficit, si mulier confiteatur, pecuniam in suam
utilitatem esse versam. Quia enim facilitate movetur ad
intercessionem, eadem & inducitur ex sexus fragilita-
te & animi lubricitate fateri, rem hanc vel illam in

C proprium

proprium usum & emolumentum pervenisse. Deinde quia talis confessio est suspecta & fit à prohibita persona Berlich. p. 2. d. conclusi. 19. n. 74. Gail. libr. 2. obs. 89.

(c) arg. d. Auth. in fin. C. d. t. & arg. l. illud convenire non potest. 5. ff. de pact. d. dotal. & l. l. & 2. ff. dc legibus. Vid. Hering. de fidei uss. cap. 7. n. 407.

(d) Statutum hoc locum invenire, quod uxor teneatur pro marito, & quod simul cum marito debita solvere necesse habeat, testatur Mynsing. cent. I. observ. 29. Gail. libr. 1. Observat. 36. num. 2. Colerus de Process. Executiv. part. I. cap. 3. n. 39. & indecision. German. decis. 31. ubi testatur, talem consuetudinem etiam Coloniæ, Norisbergæ vigere. Daniel Moller. libr. 2. Semest. c. 41. num. 8. Andr. Rauchb. part. I. q. 36. n. 12. Hering. in s̄apius allegato tractatu, cap. 7. n. 407. ubi idem obtinere ait Statuta Lüneburg. art. 22. nec non Lubecensia, libr. 3 tit. 6. art. 21.

XXII.

Rejicitur tandem SC. Velleianum: Si mulier ei renunciaverit. Quod an fieri possit in dubium vocatur non ab inferioris subsellii Jctis: Nos affirmativam tuebimur (a) aliam necessariam, aliam voluntariam renunciationem statuentes. Necessariam eam vocamus, quæ fit ex legis necessitate, quando mulier liberorum suscepit tutelam (b) ubi renunciare cogitur secundis nuptiis & huius SC. auxilio. (c) Voluntariam quam quis sua sponte suscipit: certiorationem tamen requirit (d) & iuramento s̄apius stabilitur. (e)

(a) Quilibet favore & auxilio sive Iure pro se introducto abdicare se potest. c. si de terra. 6. de privileg. l. pen. C. de pact. l. quod d. favore. C. delegat. l. iubemus. 21. C. ad SC. Velleian. l. ult. § pen. ff. b. t. Gail. libr. 2. Obs. 77. Treutl. vol. 1. disp. 25. 1b. 4. & 5. & ibidem Hunn. in resolut. Fachin. lib. 2. Contr. iur. c. 60. Goeddeus, in tract. de cont. & comm. stipulat. concl. 16. n. 198. (b) l.

(b) l. ult. C. quando mul. tut. officio fungi potest. Auth. matrī & avī. C. eod. Berlich. p. 2. d. concl. 19. n. 26.


(c) Rationem quārenti, hanc dabimus, quod fœminæ ad secunda vota transeuntes, non solum bona liberos rum, verum etiam quod maius est, vitam addicant novis maritis, l. 22. §. lex enim. C. de administr. tut. & odium plane irrationabile ad prioris coniugii liberos habeant, juxta illud vernaculum: Wer einen Stieff Vater bes fömibt/ befömibt zugleich eine Stieff Mutter. l. cum apertissime. C. de secund. nupt.

(d) Fœminæ enim præsumuntur ignorare ius suum & privilegia, pro se introducta, arg. l. 1. in fin. ff. de edendo. l. cum de indebito. 25. §. 1. vers. sin. à. ff. de probat. Hering. de fideiuss. c. 7. num. 473. Berlich. part. 2. concl. 19. n. 33.

(e) Hoc enim casu iuramenti virtute efficaciter mulier obligatur, etiam si non sit de Senatusconsulto Velleiano certior reddit. Quia iuramentum est loco certiorationis; cum ad jurisiurandi interpositionem majori deliberatione quam ad renunciandum perveniat, censeturque mulier hujus vi omni legum & iuris auxilio renunciasse, si non in specie, attamen in genere. Eberhard in Topicis LL. loco à vi iuramenti. n. 36. Gail. libr.

2. observat. 77. n. 10. Hering. in tract. suo cap. 7. n. 509. &
seqq. Atque hæc de beneficiis fideiussorum hac vice sufficient.

Gratia summa tibi sit, Laus, & Gloria, Christe.




WITTENBERG, Diss., ERG. BD.,
1. 1612/1667



nicht verbraucht

WNT



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
Inches

28 K 944
IURIDICA
IDEIUSSO.
& Senatus.
ellejano.
m.
elici
RIADOS
io,
orum Collegij, in perillusri
ia, consensu accidente,
DE
ue Consultissimo
ANO Krembergf/
ore & favitoresuo
ndo.
dam proponit
TH, Wilsterâ Holsatus.
forum,
anuarij.
JOHANNIS GORMANNI.
C. XXII.

